



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Imitatione Christi

Thomas <von Kempen>

Antverpiae, 1607

Qualiter standum sit ac dicendum, in omni re desiderabili. 15

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48701)

forpta est omnis gloriatio vana, in profunditate iudiciorum tuorum super me.

4 Quid est omnis caro, in conspectu tuo? Numquid gloriabitur lutum, contra formantem se? *Eccli. 23. & Esa. 29.* Quomodo potest erigi vaniloquio, cuius cor in veritate subiectum est Deo? Non eum totus mundus eriget, quem veritas sibi subiecit; nec omnium laudantium ore mouebitur, qui totam spem suam in Deo firmavit. Nam & ipsi, qui loquuntur, ecce omnes nihil, deficient enim cum sonitu verborum: Veritas autem Domini manet in æternum. *Pf. 116.*

CAP. XV.

Qualiter standum sit & dicendum, in omni re desiderabili.

Illi, sic dicas in omni re: Domine, *Dñs.* si tibi placitum fuerit, fiat hoc *Iac. 3.* ita. Domine, si fuerit honor tuus, fiat hoc in nomine tuo. Domine, si mihi videris expedire, & vtile esse probaueris; tunc dona mihi hoc vti, ad honorem tuum. Sed si mihi nociuum fore cognoueris, nec animæ meæ saluti

G 6 pro-

prodesse, aufer à me tale desiderium. Non enim omne desiderium est à Spiritu sancto, etiam si homini videatur rectum & bonum. Difficile est pro vero iudicare, vtrum spiritus bonus, an alienus te impellat, ad desiderandum hoc vel illud: an etiam ex proprio mouearis spiritu. Multi in fine sunt decepti, qui primò bono spiritu videbantur inducti.

2 Igitur semper cum timore Dei & cordis humilitate, desiderandum est & petendum, quicquid desiderabile mèti occurrit: maximeque cum propria resignatione, mihi totum committendum est, atque dicendum: Domine, tu scis qualiter melius est, fac hoc vel illud, sicut volueris. Da quod vis, & quantum vis, & quando vis. Fac mecum, sicut scis, & sicut tibi magis placuerit, & maior honor tuus fuerit. Pone me, vbi vis, & liberè age mecum in omnibus. In manu tua sum, gyra & reuersa me per circuitum. En seruus tuus ego, paratus ad omnia: quoniam non desidero mihi viuere, sed tibi: vitam dignè & perfectè.

Oratio